Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3189
Quelle:
Copyright:

Annae Hungaricae Ladislai Regis ex *Anna Fuxienſi* Filiae et *Ferdinandi* I. Rom. Imp. Conjugis ſanctiſſimae, cujus domeſticam foecunditatem aevo noſtro *M. Thereſia*, et *M. Ludovica* Augg. aemulatae ſunt. Exaratus eſt anno ab inito matrimonio *quarto*; praeit enim Icon ſcite picta utrumque Conjugem Scutis gentilitiis adſtitutis exhibens, et *Anna* quidem Sertum roſarum Marito offerre videtur, et ore profari: *Wie Gott will*; ad pedes vero Tabella anno 1524. insignita eſt. Preces ipſas quod adtinet, majorem delectum optes; infirmis enim multae fundamentis nituntur, quae pia credulitas ſubſtruxit, puta: Oratio, quam *M. Magdalena* 30. annis in eremo perſolvit, Oratio *Romae* inventa in Libro, *do dy aller peſten namen jnnen geſchriben ſtendt*, a S. *Petro* compoſita et quotidie dicta, et ſimilia. Nomen Reginae in Precibus plerumque initiali ſolum litera A exprimitur; *fol.* tamen 113. inter plura alia ad Chriſti Aviam ὁμωνυμον directa pietatis exercitia legitur: *ich Anna opfer dir den Pater noſter vnd Aue Maria* &c. Quae in eximiae hujus Principis *Pragae* 1547. in partu extinctae poſthumas laudes congeſſere *Job. Lud. Braſſicanus*, *Wolfg. Lazius*, *Nic. Polites* et *Job. Silveſter Pannon.* perſtrinxi in *Hiſt. Typogr. Vienn.*

DCCCCLIV.

978 Codex membraneus germ. Sec. XVI. Folior. 156. formae minimae, eleganter exaratus, literis initiorum deauratis, et Icunculis XII. artificioſe depictis ornatus varia Pietatis continet Exercitia e Typo impreſſis tranſcripta, quod non adeo mirum, cum ſint homines, qui malint ſcripta legere, quam excuſa. Habetur enim ad calcem Precum Index cum hac clauſula: *Getruckt in der loblichen Stat Ulm von hanſen Schäffeler. Anno Domini Tauſent fünffhundert vnd zway Jar.* Inſunt vero *Calendarium*, Curſus de compaſſione B. *Mariae*, Orationes ante et poſt ſacram Communionem, et diverſorum Coelitum Commemorationes. Quod porro *Codiculum* hunc thecae e ſolido auro magni ponderis ſpecioſis inusto coloribus concluſum pretioſiorem reddit, manus eſt complurium Virorum, Feminarumque Principum, qui praeviis, atque ſubſequis ejus foliis memoriam ſui commendavere. Atque eam huc transferre juvat. 15M80. *W. G. W.* (Was Gott will) *Carolus.* Eſt is Ferdinandi I. Filius, Dux Styriae, quem primum Libelli poſſeſſorem puto. *C. N G W* (Nach Gottes Willen?) *Yſabel.* Seu Eliſabeth Maximiliani II. Filia, Galliarum Regina. *15.MP.99. Philippus.* Hiſpaniarum Rex III. *M. Maria.* Imperatrix, Caroli V. Filia, Maximiliani II. Uxor. *1580. Mein Hoffnung in Gott. J. H. In Bayern wittib.* Jacobina Badenſis vidua Guilelmi I. *15.A.80. ich trau Got. Anna H. in p. witib.* Ferdinandi I. Imp. Filia, Alberti III. Bavari dicti Magnanimi conjux.